

AXIOMATA VNDETRIGINTA DE BONIS OPE

RIBVS, ET GRATIA IUSTIFICANTE, QUAE PROPE DIEM VENE

randus, & Eruditus Vir Dominus Stephanus Reutmarius, liberalium Artium Magister, & sacrae Theologiae audis
tor, noui Collegij Gubernator pro uiribus sustinere & tueri conabitur, in publica Theologorum
Schola, Reuerendo Patre D. Georgio Theandro S. Theologiae Doctore,
et professore Ordinario, Praeside et Patrono.

QVAESTIO.

Cvm doctrina Ecclesiae de bonis operibus, calumnijs multorum pateat, Quaeestio nascitur, Num bona piorum opera Deo placeant, & digna habeantur premio Vitae aeternae.

AXIOMA PRIMVM.

Gratiam primam, quae & iustificans est, hoc est, qua iustificatur impius, nulla merita praecedunt, sed mere gratis datur à Deo,

II.

Etsi gratia iustificans gratis datur à Deo sine ullis meritis nostris, decet tamen bonitatem & liberalitatem patris misericordiarum, Vt homini facienti, quod in se est, eam gratiam largiatur, id quod meritum Congruui adpellant.

III.

Non sunt noui Pelagiani habendi, qui ponunt & statuunt meritum Congruui, cum & ipsi affirmant constanter, necessariam esse gratiam, imo oportere eam praecuenire Voluntatis operationem.

IIII.

Cornelij illius Centurionis facientis, quod in se erat, hoc est bonis inspirationibus & ductibus Dei obsequentis preces & Eleemosynas respexit Deus, & ei tandem contulit gratiam spiritus sancti.

V.

Cum in casu primi hominis uoluntate non simus spoliati, sed uoluntatis sanitate priuati, sanatur iam infirma uoluntas gratia iustificante, ut sanata, Dei adiuuorio, legem impleat.

VI.

Voluntas in Iustificatione nostra, gratiae quodammodo cooperatur, sic ut iustificatio nostra sine nostra uoluntate, & consensu accipientis non perficiatur.

VII.

Vt homini liberum est oculos claudere, ne Solis lumen admittat, aut aperire, ut recipiat, ita homini liberum est, Deo praecuenienti, & per bonas inspirationes ad poenitentiam excitanti, dare uel negare consensum,

VIII.

Licet autem Deo praecuenienti, sine gratia assentiri non possit uoluntas, quis tamen non uidet, hoc esse uoluntatis, ut assentiat, Nihil enim tam est in potestate uoluntatis, atq; ipsa uoluntas, seu, ut sic loquar, ipsum uelle.

IX.

Velle autem poenitere, & remissionem peccatorum accipere, non est à sola uoluntate, sed illud nobiscum operatur Deus, dum uoluntatem nostram immutat & suae facit uoluntati consentientem.

X.

Quia uoluntas cogi, & mutari inuita non potest, Deo ipsi cooperatur, dum ei consentit.

XI.

Scitè admodum & pulchre dictum est à Diuo Augustino, Qui fecit te, sine te, non iustificabit te, sine te.

XII.

Semper in nobis uoluntas libera est, sed non semper bona est, ait item D. August. de gratia & libero arbitrio.

XIII.

Impij sunt Manichaei, qui uoluntati nullam tribuebant actionem, ne quidem adiuuante Spiritu sancto, perinde atq; nihil interesset inter uoluntatem, & saxum.

XIIII.

Quamuis omnia piorum opera Dei sint dona, tanta tamen est Dei benignitas, cuius misericordiae non est numerus, ut quod ipse post iustificationem operatur in nobis, id ipsum nobis propter consensum nostrum, & bonam uoluntatem, quam adhibemus, non tamen absq; eo, in meritum imputet.

XV.

Diuus Augustinus ad Felicianum scribens, non minus uerè quam doctè inquit, Cum Deus opera nostra remunerat, sua dona in nobis coronat,

XVI.

Et ad hoc datur gratia iustificans, ut principium possit esse meritum, Datur unicuiq; sine merito, ut tendat ad meritum, & datur ante laborem, ut mercedem quisq; accipiat secundum laborem.

XVII.

Habent ergo opera nostra post iustificationem meritum suum, habent & dignitatem suam, quam mutuatur ex gratia, non habent ex se ipsis.

XVIII.

Deus Opt. Max piorum opera grata habet, & digna reputat premio uitae aeternae, ex summa misericordia, & gratia sua, unde illa proficiscuntur.

XIX.

Apostolus dicit, non esse condignas passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quae reuelabitur in nobis. Itaq; haec operum dignitas metienda est, proportione Geometrica, non Arithmetica, quemadmodum etiam liberalis princeps distribuit honores & dignitates, ex magna sua liberalitate, quamq; non penitus sine delectu meritum, non tamen iuxta meritum aequalitatem.

XX.

Meritum hoc, quod operibus hominis reconciliati Deus imputat, recentiores Meritum Condigni adpellarunt, Meritum quidem non ex dignitate operis, sed ex gratia & liberali promissione Dei, qui etiam haustum aquae frigidae non sinit irremuneratum.

CONCLUSIO XXI.

Quamuis itaq; opera bona ex se ipsis nullum habeant meritum, Gratia tamen unde illa proficiscuntur, & liberalis promissio Dei, qui genem mercedem pollicetur illis, ac persoluit, facit ut digna habeamur, quibus merces uitae aeternae tribuatur.

XXII.

Nemo Haereticorum plus nocuit Ecclesiae, & regno Christi, quam Misery huius tempestatis, ait Geor. V Vicelius de necessitate & assertionem bonorum operum.

XXIII.

Haeresis est & magna impietas, cum ratione etiam, nedum cum scriptura ipsa pugnans, Hominem iustum in omni opere, etiam rectissime facti, peccare.

XXIIII.

Incautus loqui uidentur, qui iustificationem hominis tribuunt fidei, porro, si fidem illam intelligi uolunt, quae per dilectionem operatur, debent clarius aliquando & explicatus loqui, ne cum aduersarijs sentire uideremur.

XXV.

Nam qui uerum Christianismum in cognitione & sola fide consistere uociferantur, tantum abest, ut non errent, ut nullum etiam scripturae testimonium axiomatis huius habeant, & adferre possint.

XXVI.

Cum dicit Apostolus, Arbitramur iustificari hominem per fidem, non solam uel quamlibet fidem intelligit, sed quae charitati coniuncta est, et per eam operatur.

XXVII.

Fidem non necessario habere Charitatem annexam, probat Diuus Augustinus ex eo, quod idem Apostolus ad Corinthios scripsit, Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum.

XXVIII.

Item quando Apostolus non semel inculcat hominem iustificari absq; operibus, non omnia excludit opera, sed tantum uel legis Mosaicæ, ut ait D. Ambrosius, uel quae praecedunt iustificationem, ut D. Augustinus intelligit.

CONCLUSIO ALTERA. XXIX.

Qui credit sibi remitti peccata propter Christum, tendit quidem ad iustificationem, sed nondum peruenit, nec perueniet unquam, nisi Charitas ipsa accedat. Qui non diligit (inquit Iohannes) manet in morte.

AXIOMATA VIETRI

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..